

quos ab ipso habebant in feodo viri nobiles Heinricus et Guntherus comites de Swareburg et ab ipsis quidam alii, quos ab illis, qui de ipsis per eum inbeneficiati fuerant, redemit et in manus ipsius fuerant legitime resignati, liberos ab omni inpeticione et onere de consensu heredum suorum ecclesie Portensi contulerit et in eorum permutationem eadem ecclesia ei quatuor mansos, duos videlicet in Berka, unum in Svauirstorph et unum in 5 Tustorph dederit, addens insuper ei LXXXI marcas et accepto ferens ei c marcas, in quibus pater noster pie memorie eidem ecclesie tenebatur sub fideiussoria cautione, et item XLI, in quibus sine cautione fuerat obligatus, que omnia in privilegio, quod memoratus frater noster super hoc dedit, sunt diligenter expressa, nos una cum fratre nostro Cunrado, qui suum nobiscum benivole dedit assensum, de petitione matris nostre eandem donationem 10 ratam habemus ipsamque pietatis intuitu innovantes presenti privilegio confirmamus auctoritate nostra precipientes, ne quis Portensem ecclesiam in eisdem bonis aliquatenus inquietare presumat. Renunciamus etiam tam in hiis quam in aliis bonis ab eadem ecclesia habitis vel habendis in Ver et in Hentscusleiben petitionibus, exactionibus, angariis aliisque serviciis, que nobis debebantur, quocumque nomine censeantur, sicut 15 etiam frater et predecessor noster in suo privilegio fecisse monstratur, et specialiter illi iuri, quod hospicium nominatur, ita ut illius obtentu nichil penitus a nobis aut a villicis nostris a sepe dicta ecclesia requiratur. Igitur ut hoc factum nulla unquam temporum vetustate abolendum perpetua stabilitate subsistat, nos presentem cautionis paginam exinde conscriptam sigilli nostri impressione muniri et ydoneorum testium subscriptione fecimus 20 roborari, quorum nomina sunt hec: Cunradus frater noster. Heinricus comes de Swareburg. Albertus comes de Clettenbere et filius eius comes Beringerus. Cunradus de Tanninrode. Albero de Vipeche. Theodericus Niger. Gothefridus de Tuthleiben. Hermannus de Nusezin. Albertus de Hebeleiben. Heinricus notarius noster et plures alii tam nobiles quam ministeriales nostri. Acta sunt hec anno ab incarnatione M. CC. XX. 25 VII, indictione I.

416.

In der Bulle des Papstes Gregor IX., die Verlegung des Hochstifts von Zeitz nach Naumburg betr., werden sämtliche Besitzungen des Bisthums bestätigt, darunter drei in der Mark (marchia) Meißen und im Pleißner Lande gelegene. Perugia, 1228 Dez. 28. 30

Hdschr.: Or. Perg. Stiftsarchiv Naumburg.

Gebr.: Mittheil. aus dem Geb. hist.-antiquar. Forsch. 1,57.

— — Villam Cebekur cum aliis bonis in Thuringia sitis. Possessiones in Brodewiz, Langendorf, Czemowe cum omnibus aliis possessionibus in marchia Misnensi et territorio Plisne sitis. — — Datum Perusii per manum Martini sacrosancte Romane 35 ecclesie vicecancellarii III. kal. decembris, indictione I., incarnationis dominice anno M. CC. XXVIII., pontificatus vero domini Gregorii pape VIII., anno secundo.

Martinus vicecancellarius scripsi.

(B.)